



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

Herlet, Johann Georg

Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.

§. 3. De venialibus peccatis fugiendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37853

rum. Undè David *Psal. 37.* Deum orat: *Nè derelinquas me Domine Deus, nè discesseris à me.*

§. 3.

De venialibus peccatis fugiendis.

55. **P**Eccata venialia, licet Charitatem non expellant, nec æternam mereantur pœnam in inferno, nec hominem Dei inimicum faciant; uti testatur Tridentinum *sess. 6. de Justificat. c. 11.* Attamen fugienda etiam sunt homini, maxime Religioso, & eorum diminuendus est numerus, quantum humana infirmitas permittit. *Primò*, quia quodlibet etiam minimum veniale peccatum est offensa quædam & injuria Dei; sic ut ait S. Hieronymus *epist. ad Demetrid.* *Non ideo putes aliqua contemnenda, quia leviora: tam enim maxima, quàm minima à Deo imperata sunt; & contemptus uniuscujusq; præcepti præcipientis injuria est.* Undè Deus hanc sui injuriam & offensam gravibus pœnis in purgatorio igne punit; uti colligitur ex verbis Apostoli 2. *Corinth. 3.* *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* De quibus S. Augustinus in *Psal. 37.* *Quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille ignis.* Ita planè: *quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homopati in hac vita.* Et *serm. 41. de Sanctis:* *Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc saculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Cùm ergo Deus misericordissimus, & miserationes ejus sint super omnia opera ejus; nihilominus autem venialia peccata puniat pœnis tam acerbis, ut nulla eis pœna

pcena possit in hoc mundo æquiparari, manifestum est, quod peccatum veniale sit Dei injuria & offensa non contemnenda.

Secundo, quia peccata venialia, licet Charitatem non destruant, fervorem tamen illius valdè diminuunt, faciuntque hominem in Dei servitio & bonorum operum exercitio tepidum, languentem & ignavum. Qualis fuit ille, de quo Christus *Apoc. 2. Habeo adversum te, quod Charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaq; unde excideris & prima opera fac.* Et *Apoc. 3. Scio operatua &c. Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus.* Solent enim peccata venialia, maximè plenè deliberata, & perfectè voluntaria animum hominis reddere abjectum, timidum: pusillanimum, tristem &c. Fiduciamq; in Deum minuere, & serenum ac limpidissimum illud cordis gaudium, quod Deus in fidelissimos sui cultores liberaliter dimanat, auferre: quo deindè ablato suboritur in animâ languor quidam, tepiditas & socordia, ut rariùs & difficiliùs in actus Amoris erga Deum affurgat, eosque non nisi remissos eliciat.

Tertiò quia peccata venialia deliberatè & plenè advertenter commissa disponunt ac viam parant ad mortalia; Dicente Scripturâ *Eccli. 19 Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quamvis enim justî, dum in levia & quotidiana peccata cadunt, non propterea desinant esse justî; uti Tridentium declarat *Sess. 6. de Justificat. c. 11.* Neq; etiam venialia quomodocumq; multiplicata possint in se ipsis fieri mortalia: Nihil-

He

2

Person

ominus voluntatem hominis paulatim inclinant & disponunt ad mortalia, sicut languor Corporis ad mortem. Undè S. Basilius *serm. de Abdicat.* ait: *Nullum sit erratum, quod parvi pendas; esto, quâvis illud tenuissimâ bestiâ minutius sit.* Nam minimæ etiam bestiæ, v. g. tinea vel teredo non minimum inferunt successivè damnum vestibus & lignis, ac consequenter integris ædificiis. *Propterea exhortor, initio ut caveamus, vel pusilla fugientes mala; nam magna ab his nascuntur;* inquit S. Chrysostomus *homil. 12. in epist. ad Roman.* Et in *Psalm. 6.* *Quando parvam aliquam animi perturbationem susceperis, nè eam neglexeris, quod parva sit; sed considera, quanta mala pariat: Nam si in domo parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus: non enim attendimus initium; sed ex initio finem considerantes movemur.* S. Ephrem de morbo linguæ ait: *Paulatim homines decipiuntur, & ex parvis principis in magna crimina precipites ruunt. Ex volucrum aucupio disce, quæ parva videntur, haud quaquam esse spernenda: Contingit enim, ut avis in laqueum incidens, parvulâ capiatur Ungviculâ, nec illi quicquam prosint alarum vire.* Idem est sensus communis aliorum SS. Patrum. Imò S. Antoninus 2. *part. histor. tit. 15. s. 2.* ait, *Peccata venialia in principio dissimulata & neglecta integras tandem Religiones ad interitum perduxisse. Ejus verba sunt: Religiones, quæ cum magno fervore & vitæ Sanctimoniam initium habuerant, minima negligentes tradi-*

tionum paternarum, in processu temporis paulatim defluerunt, & exinanita sunt usq. ad fundamentum, vota scilicet substantialia. Idem tradit S. Anselmus epist. 6. ad Monachos, dicens: Certissimum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus; quia in Monasterio, ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis permanet; ibi pax inter Fratres. Ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo dissipatur paulatim & destruitur. Si ergò de virtute in virtutem velitis ascendere, semper timete in singulis minimis Deum offendere.

Contingit autem hæc peccatorum venialium ad mortalia dispositio duobus modis. Primus est, quod venialia peccata, cum sint quædam Dei offensæ & injuriæ, soleant impedire specialium Dei auxiliorum in animam influxum. Quamvis enim Deus nulli prorsus hominæ denegat necessariam & sufficientem gratiam ad resistendum tentationibus, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 10. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. Nihilominus quia per hoc generale & sufficiens auxilium tentationibus ingruentibus sæpè non resistimus; hinc Deus aliud quoddam specialius adhuc auxilium solet præparare illis, qui liberales erga ipsum se exhibent in operando, observantes non solum præcepta, sed etiam consilia, qui que cavent sollicitè, nè vel in minimis ipsum deliberatè offendant. Quod speciale auxilium econtra denegat iis, qui ita parcè & illiberaliter cum eo agunt opera supererogatoria nulla præstent,

sed insuper injuriis & offensis saltem levibus ipsum laceffant. Id quod expressè docent S. Hieronymus, Theodoretus, & Alii Expositoras in illud *Psalm. 17. Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Sivè juxta aliam versionem : *Cum benigno benignus eris, & cum liberali liberalis eris.* Qualis enim quisque se exhibuerit erga Deum, talem vicissim experietur Deum erga se, videlicet liberalis liberalem, parcus parcum, averfus aversum. Hoc autem speciali auxilio subtracto, quis non videt, hominem sic denudatū versari in magno periculo succumbendi per consensum tentationibus tam frequentibus & vehementibus?

Secundus modus est, quod per venialia peccata sensim ex parte hominis infringantur & debilitentur vires ad resistendum tentationibus. Nam ex frequentatione actuum venialiter malorum, maximè si cum plenâ advertentiâ fiant, assuescit homo paulatim repugnare Divinis Mandatis, & cedere tentationibus. Pudor quoque innatus & verecundia, quæ primitus sentitur inter peccandum, præscribitur paulatim per actus frequentiores venialiter etiam solum malos; conscientix remorsus sopitur & supprimitur; atque ita latè patens janua gravioribus peccatis aperitur. *Habet insitum quendam animæ pudorem atq; innatum; quem subito calcare atq; projicere non potest, sed sensim ac paulatim ex negligentia perdit; ut inquit S. Chrysostomus homil. 87. in Matth. dum videlicet post admissa aliquoties deliberatè peccata venialia fit liberior, effrons*

effrons & impudens, dicitque: peccavi; & quid mihi accidit triste! Eccl. 5.

Deinde per peccata venialia tepescit paulatim Charitas, & fervor ejus diminuitur; pax, quies & tranquillitas animi interturbatur; Habitus virtutum naturales & acquisiti, qui magnam ad bene operandum facilitatem præstabant, per actus vitiosos cōtrarios debilitantur & deficient; contra vitiosi habitus quotidie augentur & roborantur; qui licet ex actibus solum venialiter malis sint generati, nihilominus ad mortaliter etiam malos inclinant, si obiectum illorum sit ex genere suo malum.

56. Porro quamvis cum illis gratiæ auxiliis, quæ communiter justis in hac vita dantur, non possit homo omnia peccata venialia collectivè sumpta per totum vitæ suæ tempus evitare, adeoque speciale id fuerit privilegium in Beatissimâ Virgine, quod nunquam venialiter peccaverit; uti docet Tridentinum *sess. 6. de Justificat. can. 23* Debet tamen Religiosus etiam Tyro & Novitius ad hoc coniti, primò ut saltem nunquam *ex proposito, deliberatè & cum plenâ advertentiâ* peccatum etiam minimum veniale admittat, etiamsi per illud propriam suam, vel aliorum vitam, honorem, aut famam conservare, imò totum mundum lucrari, aut convertere posset. Dixi, cavendum esse peccatum veniale *plenè* deliberatum & *perfectè* voluntarium; Nam quæ per subreptionem & semiplenè advertenter committuntur, nec ita sunt periculosa, nec omnia à nobis ordinariâ

Hel

2
Perjura

via possunt vitari. Nam in multis offendimus omnes. Jacobi. 2. Et non est homo justus in terra, qui non peccet. Eccle. 7. Unde S. Ambrosius lib. 1. Apolog. David. c. 2. Unusquisq; nostrum per singulas horas quam multum delinquit? Et lib. de Bono mortis c. 2. Nulla dies sine peccato nostro praterit. Item S. Augustinus lib. de Natura & Gratiâ c. 36. Exceptâ Sanctissimâ virgine Mariâ, somnes illos Sanctos, cum hic viverent, Congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato? Quid fuisse responsuros putamus, nisi quod Joannes Apostolus: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis non est. Et epist. ad Seleuc. 108. Humana fragilitati quamvis parva, tamen crebra subrepunt. Hæc igitur venialia indeliberata, quæ nobis per incogitantiam ac furtivè quasi subrepunt, sufficere nobis debent ad clamandum quotidie cum justis: *Dimitte nobis debita nostra* (nam hanc justorum vocem esse & humilem & veracem, testatur Tridentinum Sess. 6. de justificat. c. 11. Deliberata autem & plenè voluntaria venialia debent ab homine Religioso esse aliena: indignum enim prorsus & à ratione alienum est, ut anima voluntariè delinquens copuletur Verbo Dei & Cælesti Sponso; inquit S. Laurentius Justinianus lib. de Cardinal. Operib. Christi.

Secundo cavenda sunt Religioso Tyroni peccata venialia præcipuè illa, quæ majus & proximus causant vel inducunt periculum incidendi in mortalia. Cujusmodi sunt omnes aspectus
curi-

curiosi formosarum facierum utriusque sexus, colloquia otiosa sive non necessaria cum mulieribus, contrectatio alienarum manuum extra necessitatem, excessus in cibo & potu, otium &c. Hæc enim & similia, licet in initio nihil admodum mali in se continere videantur, paulatim tamen ad enormia peccata latenter incautos perducunt.

Tertio abstinendum est sollicitè ab illis venialibus, quæ Hominem Religiosum magis dedecent & coram Sæcularibus eum magis prostituunt ac contemptibilem reddunt. Qualia sunt omnia mendacia, etiam jocosa, gloriatio & jactantia in verbis, joci illiberales & insultu, verba minus decencia & honestarum aurium offensiva &c. Talia enim semper horruerunt admittere Boni Religiosi. *In omni vitâ meâ sermo stultus non est egressus è labiis meis; inquit S. Ephrem apud Gregorium Nyssenum. In omni vitâ meâ neminem maledictis affeci. Omnino nullo cum homine Christiano contendit. Et de Abbate Or refert Palladius in histor. Lausiacâ, eum nunquam esse mentitum, nunquam jurasse, neq. locutum esse nisi opus esset.*

§. 4.

De observatione Regule, & Statutorum.

17. **T**Ria spectari possunt in Regulâ S. Augustini, quam Canonicus Ordo Præmonstratensis, cum aliis pluribus Ordinibus profitetur. Nam aliqua sunt præcepta, & obli-

G 5

gant